



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

xv. De Suspensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

atione, sic licet regio sit interdicto supposita, Chrisma dñe cœnæ Domini posse confici dubiū esse non debet. Vnctio autē extrema, & Ecclesiastica sepultura, & diuinorum officiorum celebratio tempore generalis interdicti omnibus denegatur, nisi quibusdam, quibus id ex gratia certa seruata forma conceditur: cæteri autem, siue clerici, siue laici, qui interdictum violando neruum Ecclesiasticæ disciplinæ conantur infringere, quibuscunq; priuilegijs non obstantibus, sententiæ excommunicationis subiicientur: à qua per se dem duntaxat Apostolicā absolui poterunt.

Appellationis prætextus uiolatoribus interdicti minimè suffragatur. h. d.

Nec aliquid violatoribus perderit, quod appellasse, atq; ideo se interdicti sententiæ minimè teneri contendant: sicut enim post appellationem excommunicari non possunt, sic interdictum, cui ante appellationem eos constar esse suppositos, declinare nequeunt.

DE SVSPENSIONE,

TITVLVS XV.

Suspensio est duplex, ut excommunicatio, & interdictum. h. d.

Suspensio quoque alia est Canonis, alia iudicis, sicuti excommunicatio, & interdictum,

Canonis est, veluti cum quis ob simoniam, vel ob notoriam fornicationem, vel aliud crimē ipso iure à sui executione ordinis, vel officij arcetur.

Ob mortale peccatum non notorium est quis suspensus, quod ad seipsum, non quod ad alios. h. d.

At si^o crimen per sententiā, vel per confessionem factam in iure, aut per rei ipsius euidentiā notorium nō sit: & si quilibet pro mortali peccato, quod ad seipsum, sit suspensus, quod ad alios tamen pro suspensio non habetur: ideoque in officijs Ecclesiasticis vitandus non erit.

Quæ sit suspensio iudicis. h. d.

Iudicis suspensio est, vt cum sententiā quis ab eadem executione ex causa remouetur.

Suspensio solum ordinem & statum Ecclesiasticum respicit: & priuatio præsupponit habitum. h. d.

Est autem suspensio (velut Ecclesiastica censura considerata) respectu quodam, aliquantoque excommunicatio, vel interdictum, strictior: quippe quod & excommunicatio, & interdictum non solum clericos, verum etiā laicos innectere possunt: at suspensio cum nihil aliud sit, quam inhabilitas quædam ad exequēdos ordines, & officia Ecclesiastica, nullos præter quàm ipsos clericos attingere potest. Nec enim ulli eius ordinis, vel officij,

a cap. si. ex. de cohabit. cleric. & mulier.

cij, cuius est penitus expers, administratio vetari & interdici potest.

*Ingerens se diuinis, incurrit irregularitatē.
Et quid sit irregularitas. h. d.*

** cap. i. in fi.
& cap. is
cui. de sen-
ten. excom.
in 6.*

Caebunt^a igitur clerici, iudices, & Ecclesiarum Prælati, ne pœnam hâc suspensionis incurrant, scituri, quod si ea durâte sese diuinis ingesserint (secundum Canonicarum sanctionū tenorem & distinctionem) irregularitatis laqueo sese inuoluent, à quo interdum non, nisi per summum Pontificem liberari poterunt. Est autem irregularitas, nota quædam, seu Canonicum impedimētum, ex facto seu defectu proveniēs, quo quis tam ad Ecclesiasticos ordines promoueri, quàm promotus in iisdem ministrare prohi-

betur: quod qualiter accidat, tã suprà xx primo libro, quàm etiam ex varijs Decretalium locis facile est legentibus cognoscere.

Episcopi & superiores nunquam incurrit sententiam interdicti, uel suspensionis, ipso iure, nisi de ipsis expressa mentio habeatur. h. d.

Ea propter optima ratione Innocētiana^b cōstitutione cautum est, ne Episcopi eorumque superiores, vllius constitutionis, sententiæ, siue mandati occasione, interdicti, vel suspensionis sententiam (nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur) ipso iure incurrant: esset enim hoc nimis periculosum, ob Pôtificalis officij, quod frequenter exercere compelluntur, executionem.

*b cap. quia per-
iculosum.
de sentent.
exco. in 6.*

Explicit liber quartus, & vltimus INSTITUTIONVM IVRIS CANONICI, in quibus, si quid diuersum Lector inveneris ab his, quæ in Commentario iam pridem edito delineata inveniuntur, scito ea authorem, cum vltimam Operi limam adhiberet, meliora secutum immutasse.

